Plantas aliquot brasilienses

descripsit

Dr. Carol. Frider. Phil. de Martius.

Universität Regensburg
UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03085-0311-1

Abroma Mariae.

A. foliis digitato-subseptenatis, foliolis obovato-rhombeis utrinque acuminatis villoso-hirtulis; floribus in caudice ramisque glomeratis, laminis petalorum subulatis longissimis pendulis.

Arbor speciosissima, altitudine 20 — 30 pedum. *Caudex* diametro 6 — 12-pollicari, teres; epidermide cinereo-fusca, passim rimosa et scrobiculata. Lignum pallidum, molle, leve. *Rami* in comam subglobosam conspirantes; inferiores subhorizontaliter patentes, omnes plus minus flexuosi; epidermide cinereo-virescente in surculis novellis pubenti-hispidula. *Ramuli* patuli. *Folia* circa ramulos laxis spiris posita, patentia, petiolata, digitato-subseptenata. Petiolus pedalis et sesquipedalis, teres, basi stipulis caducis munitus, pilis stellatis erectis fuscis hirtulo-tomentosus. Foliola in apice petioli digitato-conferta, inter se distincta, septena aut unius abortu sena, obovato-rhombea, versus basin longiuscule cuneata, apice breviter acuminata, 12 — 15 pollices longa, in antico triente 6 — 8 pollices lata, intima maxima, lateralia decrescendo minora, membranacea, laete viridia, firmata nervo crasso supra plano subtus convexo venisque parallelis intra marginem arcuato-combinatis. Venulae inter venas subparallelae, anastomosi areolas subquadratas vel oblongas acutangulas formant. *Indumentum* pilorum stellatorum fuscorum in nervi utraque facie densum, in venis venulisque paginae superioris perparcum, inferioris crebrius. *Flores* plurimi, glomerati, e trunco ramisque primariis prorumpentes, speciossimi. *Pedunculi* ima basi *bracteis* minimis squamaeformibus suffulti, $1^1/_2$ — 2 pollices longi, rosei, pilis erectis rubentibus obsessi, plerique nutantes, tenues, filiformes. *Calyx* 4 — 6 lineas altus, crassiusculo-membranaceus, sectus in *foliola* 3 — 5 ovato-elliptica, obtusa, concava, in alabastro valvata, demum reflexa, extus rosea et pubentia, intus purpureo-punicea, longitudinaliter striata, excepta basi, quae tenuissime puberula, glaberrima. *Corolla* pentapetala, cum calyce alternans. *Petala* ex ungue cucullato-concavo fere hemisphaerico pallide citrino striis subquinis longitudinalibus purpureis picto, calycem subaequante promissa in laminam longissimam tripollicarem compresso-planam subulatam, basi constrictam, supra nonnihil concavam, nervis 3 — 5 longitudinalibus purpureis percursam ochroleucam, sub anthesi pendulam, in alabastro spiraliter involutam. *Urceolus* stamineus campanulatus, quinquepartitus in lacinias erectas apice patulas, ovatas vel subovatas acutiusculas cum petalis alternantes. *Staminum pha-*

langes quinque, urceolo extus adnatae, intra petalorum unguem cucullatum reconditae, quem altitudine aequant, planae, subquadratae, antice nonnihil attenuatae, apice bifidae, lobo altero dianthero, altero monanthero, purpureae, glabrae. *Antherae* flavae, bilobo-didymae, loculis obtusis, in medio longitudinaliter extrorsum rimosis, interdum dimotis. *Pollen* globosum, pallidum, sulcis quatuor parallelis. *Pistillum* intra urceolum stamineum plane reconditum. *Ovarium* ovato-pentagonum, leviter decemstriatum, roseum, pubens; quinqueloculare, pluriovulatum, *ovulis* uniseriatis superpositis. *Stylus* brevis, subcylindraceo-pentagonus. *Stigmata* quinque, filiformia, pallide rosea. *Capsula* matura non visa.

Crescit in silvis aboriginibus amnem Solimoês obumbrantibus, in Brasiliae provincia Rio Negro, passim, e. g. prope Praia de Jurupará et prope vicum Coará. Ibidem descripta et delineata 14. Novembris 1819.

Ornata est haec speciosa planta a me illustrissimo nomine almae Reginae Saxonum Mariae, cujus dives pater Maximilianus Josephus, Bavariae Rex, me misit benevolentissime ad Americae naturam perscrutandam, et quae ipsa, uti Fridericus Augustus, conjux serenissimus, amicissima est naturae ejusque sublimitatis fautrix.

Sparattanthelium.

Character essentialis. Flores hermaphroditi, abortu polygami. Perigonium simplex tubo adnato, limbo quadri-quinquepartito. Stamina 4 — 5, cum perigonio alternantia, e summo tubo, antheris bilocularibus, loculis valvulis a basi ad apicem circumscissis dehiscentibus. Ovarium uniloculare, ovulo 1 pendulo. Stylus simplex, stigmate capitato. Drupa exsucca in paniculae brachiatae intumidae ramis, vertice perigonii laciniis mox deciduis coronata. *Folia alterna, simplicia, subtrinervia.*

Character naturalis. Flores hermaphroditi, abortu polygami, monochlamydei. Perigonium textura subcalycinum (parvulum, extus canopubens); tubo brevi ovario adnato, limbo in lacinias 4 — 5 lanceolatas aut lineari-lanceolatas subaequales, aestivatione marginibus subimbricatas, sub anthesi horizontaliter patentes secto. Stamina in perigonio tetramero 4, in pentamero 5, ex ima parte perigonii enata, libera, cum ejus laciniis alternantia, erecta, inclusa; in alabastro erecta et versus centrum floris conniventia. Filamenta brevia, tenuia, appendicibus glandulosis (ligularibus) nullis. Antherae erectae, subulatae compressae, biloculares,

Universität Regensburg UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03085-0314-8

connecticulo lineari. Loculi introrsi, valvula tenui membranacea, a basi ad apicem circumscissa apici adhaerente et tandem horizontaliter patente aperti. Pollen minutum, in cumulo album, constans globulis reticulatis, hinc plica lineari notatis. Ovarium intra perigonii tubum et cum eo arcte connatum, uniloculare. Ovulum unicum, anatropum, ex axi fructus pendulum. Stylus e vertice ovarii plano erectus, cylindricus (in alabastro erectus.) Stigma capitatum, subhemisphaericum. Drupae ratione numeri florum in quavis panicula paucae maturescunt (floribus quam pluribus cassis deciduis) ovatae aut oblongae, exsuccae, epidermide laevigata, sarcocarpio tenui, putamine coriaceo aut subligneo.

Inflorescentia sub grossificatione excrescens et excussis pedicellis rhachibusque partialibus non fructiferis paniculam parce ramosam ceranoideam exhibens, exsuccam, lignosam et expallescentem, cruribus brachiato-patentibus, divaricatis vel refractis, ad divisiones et infra drupas plus minus nodosis et intumidis.

Arbusculae. Rami teretiusculi. Ramuli teretes vel compressiusculi. Folia petiolata, petiolis ratione laminae longiusculis, superne linea tenui sulcatis; estipulata et evaginata, sparsa; saepe versus ramulorum apices magis congesta, integerrima; trinervia aut subtriplinervia, nervis subtus prominulis; venosa: venis inter nervos laterales et medium subrectangulo-transversis et plus minus parallelis, binis vel ternis in antica parte quam reliquae robustioribus introrsum arcuatis, venis inter nervos laterales et marginem decurrentibus inter se simplici arcu intra ipsum marginem combinatis; venulosa, venulis inter venas subrectangulo-reticulatis, omnibus (in sicco) subtus plus minus conspicuis. — Gemmatio nuda.

Inflorescentia bracteis atque bracteolis carens. Paniculae laterales ex alis supremorum foliorum et una ad speciem terminalis, nimirum juxta finem ramuli nondum continuati atque gemma nuda terminati saepe folio novello praediti posita.

Indumentum breve, constans pilis simplicibus, non septatis, subulatis, rectis aut arcuatis, simplicibus aut stellato-congestis, frequens in ramulis novellis, tandem obliteratum, densius et canum in nonnullarum specierum foliis, praesertim in pagina inferiore, nec non in paniculae

ramulis atque in perigoniorum facie exteriore. Color foliorum saturate viridis, perigoniorum facie interna virens aut fuscidulo-virens, antherarum albidus, valvularum pallide flavescens, druparum ochroleucus aut fuscidulus. Lignum pallidum. Cortex sapore gelatinoso, vix aromatico.

Affinitas. Sparattanthelium arcto vinculo nectitur *Gyrocarpo*, generi a pluribus auctoribus in Laurinearum affinitate posito (Cfr. Neesii ab Esenbeck Systema Laurinearum p. 699), quod tamen novissimo tempore a cl. Endlicherio (Genera plant. n. 2068), praeeunte cl. Blumio (Nov. famil. expos. p. 15) tamquam distincti ordinis, Illigerearum, typus est declaratum.

Nomen e graecis vocabulis ἀνθήλη, panicula, et σπαράττειν, expandere, distendere, est compositum, ob paniculam fructiferam ceranoideo-expansam.

I. Sparattanthelium Tupiniquinorum. Tab. X. Fig. I.

Sp. foliis crasso-membranaceis oblongis vel oblongo-lanceolatis acutis vel acuminatis, subtus concoloribus, praeter petiolos nervosque subtus subtiliter pubentes glabris; paniculis patulis laxe corymbosis, griseo-tomentosulis; perigonio quadripartito.

Sparattanthelium Tupiniquinorum, Mart. Herb. Flor. Bras. n. 509.

Frutex octo — duodecim-pedalis, sursum dense ramosus. *Ramuli* teretes, rectiusculi, epidermide laevigata cinereo-virente, subtilissime pubente, demum glabrata. *Folia* phyllotaxi in uno eodemque ramulo varia, nunc $^{8}/_{13}$ nunc $^{4}/_{7}$ aliisque disposita, unum super alterum varia altitudine exeuntia. Petiolus pollicaris, gracilis, teretiusculus, superne depressus et sulco tenui exaratus, subtilissime pubens. Lamina $2^{1}/_{2}$ — 4 poll. longa, 1 — $1^{1}/_{2}$ lata, oblonga aut oblongo-lanceolata, basi nonnihil contracta et subinde breviter subcuneata, apice acuta aut breviter acuminata, crasso-membranacea, trinervia aut subtriplinervia, nervis subtus prominulis, subtiliter pubentibus, supra planis glabris, venis inter nervum medium et laterales transversis subparallelis, inter laterales et ipsum marginem simplici arcu combinatis, uti nervi pilis minutis (sub lente subulatis saepe falcatis vel flexuosis) adspersis; venulis inter se et venas reticulato-anastomosantibus glabriusculis. *Gemmae* in axillis foliorum minimae, pubentes. *Paniculae* ex alis foliorum supremorum aut ad speciem terminales, irregulariter dichotomae, patentes, subcorymbosae. *Pedunculus* communis et rami primarii teretiusculi, 1 — $1^{1}/_{2}$ poll. longi. *Pedicelli* ultimi 1 — 2 lin. longi, tenues. *Indumentum* totius inflorescentiae tenuiter tomentosum, cinerascens, e pilis stellatis brevissimis sessilibus compositum. Bracteae et bracteolae nullae. *Flores* lineam alti aut paullo altiores. *Perigonii* tubus $^{1}/_{4}$ totius floris longitudinis cum ovario connatus, teres; limbus quadripartitus, laciniis oblanceolatis obtusiusculis, extus plano-convexis atque simili tomento ac pedicelli obsessis, intus planiusculis cum nervo medio paullo elevato, fuscidulis, glabris, duobus oppositis paullo majoribus.

Universität Regensburg UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03085-0316-9

Stamina quatuor cum laciniis perigonii alternantia, tubi apici supra ovarium inserta. *Filamenta* brevissima, tenuissima, alba. *Antherae* flavescentes, angusto-lanceolatae, connecticulo latiusculo in apiculum brevem acutum promisso, loculis binis, valvula a basi ad verticem usque circumscissa, e vertice tandem divergente aperiundis. *Pollen* album, globulis constans minimis reticulatis, hinc rimosis. *Ovarium* calyce arcte adnatum, ovulo solitario ex axi pendulo subcylindrico. *Stylus* basi angustata glabra vertici ovarii insertus, superne cylindricus, pilis surrectis adspersus. *Stigma* depresso-capitatum. Fructus non observatus.

Crescit in silvarum aborigiuum umbrosis ad oppidum S. Georgii Insulanorum, in provincia Bahiensi. Ultimis anni mensibus floret.

2. Sparattanthelium Botocudorum. Tab. X. Fig. II. Tab. XI. Fig. I.

Sp. foliis crassiusculo-membranaceis ovatis aut ovato-oblongis, breviter acutatis, subtus pube tenuissima incanis; paniculis multifloris compactis griseo-tomentosis; perigonio quinquepartito; drupis ovatis obtusis glabris.

Frutex octopedalis. *Rami* sursum compressi, longitudinaliter striatuli, subtiliter puberuli. *Ramuli* breves, basi compressa e ramis prodeuntes. *Folia* 2 — 3 poll. longa, 1 — $1^1/_2$ lata, in petiolis semipollicaribus, basi inaequilatera, rotundata vel, dum triplinervia (nec trinervia) levissime cuneata, substantia quam in praecedente specie nonnihil teneriore, subtus pilis fere duplo majoribus et multo crebrioribus incana. *Inflorescentia* multiflora, *pedunculis* primariis et secundariis quam in dicta specie brevioribus atque insignis floribus omnibus fere eodem tempore efflorescentibus, quo fit ut ambitus inflorescentiae minus expansus et subglobosus evadat. *Pedicelli* 1 — 3 lin. longi, quam in praecedente nonnihil crassiores. *Indumentum* simile, pilis tamen, ut mihi quidem videtur, nonnihil brevioribus. *Perigonium* vix majus quam in *Sparattanthelio Tupiniquinorum*, quinquepartitum, pentandrum, extus, uti rhaches inflorescentiae cinereo-tomentosulum, laciniis lanceolatis acutiusculis, intus fuscidulis atque pilis minimis adspersis, qui in nervo medio elevato crebriores sunt. *Stamina* quinque, forma et proportione ut in specie praecedente, id unum si excipias, apices antherarum esse obtusiores. Reliqua in flore pariter conveniunt. Flores plurimi incassi decidunt, pauci grossificati ovarium cum induente perigonii hypanthio monstrant in globulum adauctum, limbo persistente coronatum, quo statu Thesii flores quasi referunt. Provectiore autem aetate panicula mutatur, dejectis complurimis pedicellis atque axibus primariis solummodo persistentibus increscit in corpus ceranoideum glabrum, album, nitidulum, cruribus dichotomo-patulis vel refractis, teretibus, passim cicatrisatis et nodulosis atque hinc inde *drupas* ferentibus ovatas obtusas, 6 — 8 lin. longas, epidermide pariter ac inflorescentiae alba, glabra et nitidula, tandem per frusta decidua.

In silvis vicinia fluminis dos Reys magos, prope Aldea velha, provinciae S. Spiritus, Martio mense legit Seren. Princeps Maximilianus Videnis.

Universität Regensburg UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK urn:nbn:de:bvb:355-ubr03085-0317-5

3. Sparattanthelium Tupinambazum. Tab. X. Fig. III.

Sp. foliis crasso-membranaceis ovatis, obovato-aut ovato-oblongis, supra glabriusculis subtus petiolisque molliter villoso-tomentosulis; ramulis ultimis paniculisque fructiferis brachiato-dichotomis, tomento tenui flavescenti-cinereo-velutinis; drupis ovatis glabris ochroleucis, perianthio (quadripartito?) coronatis.

Sparattanthelium Tupinambazum Mart. Herb. Flor. Bras. N. 509. (1.), exclusa nota perigonii quinquefidi, quae ad Sp. Botocudorum pertinet.

Frutex inter vepreta diffusus. *Rami* tomento tenui in superiore parte flavido-cinerascente obducti. *Folia* in petiolis 8 — 10 lin. longis pariter ac ramuli tomentosis, 2 — 3 poll. longa, medio 15 — 18 lin. lata, supra obscure viridia et nitidula, pilis minimis 2 — 3 radiatis sessilibus passim adspersa, tandem glabrata, si nervos et venas excipias, in quibus pili diutius persistunt, subtus dense molliterque tomentosa, tomento e pilis, quam in *Sp. Botocudorum* duplo longioribus et crebrioribus. Flores non visi, ex inspectione residui perigonii in apice fructus tetrameri videntur. *Inflorescentia* ex alis foliorum supremorum. *Pedunculus* communis et ejus rami teretiusculi aut hinc planiusculi, tomento ochraceo-cano velutini. Ramuli paniculae fructiferae dichotomi refracti, ad insertiones florum delapsorum nodulosi, in apicibus et bifurcationibus passim ferentes *drupas* 7 — 8 lin. altas ovatas, vertice perigonii tubo vix lineam longo coronatas. Epidermis druparum glabra, ochroleuca.

In vepretis et sepibus districtus Serro Frio inveni Majo fructiferam.

4. Sparattanthelium Bororum.

Sp. foliis tenuiter membranaceis, oblongis vel oblongo-lanceolatis, breviter cuspidatis, supra pubentibus, subtus petiolisque incano-velutinis; paniculis patulis canescenti-albidis; perigonio quinquepartito.

Rami et *ramuli* molliter pubentes, novelli subincani. Petioli 8 — 12 lin. longi. Laminae $2^1/_2$ — $3^1/_2$ poll. longae, medio 12 — 15 lin. latae, tenuiter membranaceae, basi contracta acutiusculae potius quam rotundatae, cuspidatae, cuspide 3 — 6 lin. longa et mucronulata, margine passim obiter repandulo subrevolutae. *Paniculae* ex alis summorum foliorum pube albida adspersae, pedunculo communi et ramis primariis compresso-teretiusculis, secundariis et pedicellis filiformibus quam perigonia longioribus laxe corymbosis. *Perigonium* ultra lineam longum, hypanthio paullo post anthesin breviter cylindrico (quo fit verosimile, fructum in formam oblongam excrescere). Laciniae perigonii angusto-lanceolatae vel oblanceolatae, extus totae et intus in nervo medio pube incana adspersae. *Stamina* quinque inclusa, *antheris* acutis. Fructus non observatus.

In Chapada, provinciae Mato Grosso: Riedel.

Universität Regensburg UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03085-0318-1

5. Sparattanthelium Amazonum.

Sp. foliis membranaceis glabris ovatis vel ovato-lanceolatis breviter acuminatis basi rotundatis vel subcordatis; paniculis multifloris corymbulosis patulis, inferne glabris, superne perigoniisque plerumque quadripartitis incano-pubentibus.

Sparattanthelium Amazonum Mart. Herb. Florae Bras. n. 509. (2.)

Ramuli et folia fere glabra. *Folia* petiolis 9 — 12-linearibus instructa, lamina $2^3/_4$ — $3^1/_4$ poll. longa, basi subcordata aut rotundata, margine subrevoluta aut leviter undulata, glabra, saturate viridia. *Paniculae* summopere divisae, ramulis corymbulosis in corymbum laxum irregularem conspirantibus. *Flores* vix lineam alti, partitionibus quatuor aut rarius quinque lanceolatis obtusiusculis. *Inflorescentia* fructifera brachiata, ad divisiones valde nodosa, glabra, sordide albida. *Drupa* exsiccata oblonga, angulis longitudinalibus subpentagona, umbone acutiusculo, glabra, nigrescens, 8 — 9 lineas alta.

In silvis ad Ega, oppidulum Prov. Rio Negro detexit clar. amicus Pöppig.

Nomina trivialia data ex gentium ferarum, quarum in territorio singulae species sunt observatae, nominibus (Tupiniquins, Botocudos, Tubinambazes et Bororos).

Tabulae Explicatae.

Tab. VIII. *Abroma Mariae.* Arbor, magnitudine tricies imminuta.

Tab. IX. I. Ramus, cum fasciculo florum, magnitudine naturali. 1. Calyx de proposito apertus, ut corolla, aestivatione ligularum involuta, in conspectum veniat. 2. Flos apertus. 3. Petalum a facie interiore. 4. Petalum ex alabastro, cum phalange urceoli staminei. 5. Urceolus stamineus, resecto calyce et corolla. 6. Phalanx a facie exteriore. 7. Phalanx a facie interiore. 8. Pollen. 9. Pistillum in calyce. 10. Pistillum seorsim. 11. Ovarii sectio horizontalis. 12. Pars ovarii sectione verticali aperta cum ovulis. Fig. 1 — 12. varia magnitudine aucta.

Tab. X. I. *Sparattanthelium Tupiniquinorum.* I. Ramulus floriger, magnitudine naturali. 1. 2. Perigonium clausum et vix apertum. 3. Flos sub anthesi. 4. Perigonium verticaliter apertum, a facie interiore visum. 5. Stamen a latere. 6. Stamen a facie antica. 7. Stamen, cum antherae valvulis circumscissis et verticaliter patentibus. 8. Stamen a facie postica. 9. Pollen. 10. Pistillum, ovario verticaliter secto, ut ovulum appareat. 11. Tomentum e facie exteriore perigonii.

Tab. X. II. *Sparattanthelium Botocudorum.* 1. Flos apertus. 2. Flos resectus, cum staminibus duobus et ovulo in ovario aperto. 3. Stamen a latere. 4. Stamen a facie interiore. 5. Stamen, antheris apertis.

Tab. X. III. *Sparattanthelium Tupinambazum.* Pars paniculae fructiferae, et 1. Drupa. resecta parte putaminis, magnitudine naturali.

Tab. XI. I. *Sparattanthelium Botocudorum.* I. Pars paniculae fructiferae magn. nat.

Universität Regensburg UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK urn:nbn:de:bvb:355-ubr03085-0319-9

Tab. XI. 1. *Sparattanthelium Botocudorum.* 1. Pars paniculae fructiferae, magn. naturali. — 1. Drupa, parte putaminis resecta, ut nucleus in conspectum veniat. 2. 3. Nucleus s. semen e putamine exemtus, cotyledonum circumvolutionem exhibens. 4. Vertex seminis. 5. Embryo, cotyledonibus arte expansis, a latere, ut rostellum breve conicum et cauliculus appareant. 6. Embryo explanatis cotyledonibus. 7. Embryo, cotyledonibus medio transverse sectis.

Omnia nonnihil aucta. — 8. Particula testae, sub microscopio composito observata.

Tab. XI. II. *Sparattanthelium Amazonum.* Pars inflorescentiae sub anthesi et fructiferae, magn. natur. — 1. Flos, hinc apertus. 2. Alabastrum. 3. Perigonii lacinia. 4. Stamen, antherae loculis apertis. 5. Embryo, e putamine depromtus.

Omnia varia magnitudine aucta.

Naturwissenschaftl. Verein Regensburg

Regensburgische Botanische Gesellschaft

Universität Regensburg UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03085-0320-0



Abroma Mariae Mart.

Universität Regensburg
UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03085-0328-7



Abroma Mariae Mart.



Sparattanthelium.

I. Tupiniquinorum. II. Botocudorum. III. Tupinambazum. Mart.

G. Weng. sc.

Universität Regensburg
UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03085-0330-6



Sparattanthelium.

I Botocudorum. II Amazonum. Mart.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Hoppea - Denkschriften der Regensburgischen Botanischen Gesellschaft

Jahr/Year: 1841

Band/Volume: 1841_3

Autor(en)/Author(s): Martius Carl Friedrich Philipp von

Artikel/Article: Plantas aliquot brasilienses 295-304